

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

88. Aqua Regis Riplei

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

88. Aqua Regis Ripleyi,  
*Pag. 349. Viatici.*

**F**Ac Aquam corrosivam de sale petrae & armoniaco, & non ponas ultra quatuor uncias in destillatorio & trahè cum lento igne aquam, in qua dissolve & fac oleum solis, &c.

*Hanc Aquam fortem Basilius Valentinus vocavit Balneum Regis de quo ita in Elucidatione secundæ Clavis: Nota amice, & seriò considera, quoniam hîc latet principale secretum. Fac ut conficiatur Balneum, cave ne aliquid intret peregrini, ne nobile semen auri radicitus destruat post ejus dissolutionem. Exactè itaque & cum cautela examina res, de quibus te informat clavis secunda; videlicet, Qualia materialia sint accipienda pro Regis Balneo, quo Rex dissolvi & ejus externa forma frangi debent ut anima ejus immaculata exeat. Huic proposito subservient Draco & Aquila, id est, Nitrum & sal armoniacum ex quibus unitis conficitur aqua fortis uti informaberis in meis manualibus ubi tractaturus sim de particulari solis.*

89. Balneum Regis Basiliï,  
*Libr. Partic. in Particul. Solis.*

**R.** **S**alis petrae partem unam, salis armoniaci partem unam, silicium pulverisatorum partem semis, misce & destilla. Nota; Aquam hanc cum cautela & exactè esse destillandam, nam per methodum communem destillari nequit; expertus in chymia (*secretioris*) operationibus sciet quid faciendum: Nota; Oportet ut habeas Retortam terream fortem bene lutatam, in cujus superiori parte exeat fistula dimidiæ spithamæ longa, & duorum digitorum lata, appone Recipiens magnum, luta bene, ignem per gradus augmenta usque dum Retorta candeat. Tum per fistulam injice cochleare hujus materiae, &